

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 6551

**Autre(s) référence(s) :** Bates 235 / Round 82

**Auteur(s) :** Gilbert II, Évreux (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** Rouen, Sainte-Catherine ou La Trinité-du-Mont (abbaye)

**Genre d'acte :** notice

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1080, 12 avril

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Notice relatant le procès élevé sur le différend survenu entre l'abbaye de la Trinité-du-Mont de Rouen et l'évêque Gilbert [II] d'Évreux au sujet de l'île d'Oissel.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Deville Achille, *Cartulaire de la Sainte-Trinité-du-Mont de Rouen*, Paris, Crapelet (Collection de documents inédits sur l'histoire de France ; 1ère série), 1840, p. 8-9, n° XVI.
- b. Bates David, *Regesta Regum Anglo-Normannorum, the Acta of William I (1066-1087)*, Oxford, Clarendon Press, 1998, n° 235, p. 727.

### Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationary Office, 1899, n° 82. Davis Henry William Carles, *Regesta Regum Anglo-Normannorum, 1066-1154*, vol.1, *Regesta Willelmi Conquestoris et Willelmi Rufi, 1066-1100*, Oxford, Clarendon Press, 1913, n° 20.

Texte établi d'après b

QUONIAM ea quæ litteris imprimuntur firmiter tenentur, de terra sanctæ Trinitatis quæ insula Oscelli vel Turhulmi dicitur, placuit fidelem et compendiosam facere descriptionem, et multis ac veris suffultam testimoniis utilem posteris pandere rationem. Postquam enim inclitus comes Normanniæ et marchio Rotb(er)t(us) et fidelis eius Gozelin(us), vicecomes de Archis, æcclesiam sanctæ Trinitatis in monte Rotomagi construxerunt, dedicata est ab archiepiscopo Rotberto eiusdem urbis et aliis episcopis. Interfuit huic dedicationi memoratus princeps cum optimatibus suis et copiosa multitudine plebis. In hoc igitur conventu prelibatus vir Gozelin(us), cum coniuge sua et filiis, fecit donationem de suis rebus quas dedit monasterio et, inter alia sui iuris predia et dona, insulam Oscelli, quæ et Turhulmus dicitur, sanctæ Trinitati et monachis eius, iure hereditario possidendam libere et absolute tradidit, presente supradicto duce Rotb(er)to et annuente ac suæ confirmationis sigillo roborante, sed et cunctis qui ad dedicationem convenerant audientibus et faventibus. Quam insulam domnus Isemb(er)t(us), primus eiusdem coenobii abbas, et domnus abbas Rainerius, successor eius, quandiu vixerunt, absque ulla calumpnia et contradictione tenuerunt. His ab hac luce subtractis, domno abb(at)e Walterio coenobium gubernante, quidem Ebroicæ urbis episcopus, nomine Gisleb(er)t(us), quam nemo antecessorum suorum fecerat, calumpniam prefatæ insulæ sanctæ Trinitatis intendit, quæ usque ad regiam aulam pervenit. Ineptum visum est regi Willelmo de illa

terra alicui audientiam dare, quæ patris sui dono tanti temporis spatio, id est L annorum, libera monasterii fuerat. Sed tamen ob reverentiam episcalis personæ, placitum dedit, et in sua curia fieri statuit.

Anno igitur dominicæ incarnationis millesimo LXXX, in paschali solennitate, presente rege Willelmo et regina Mathildæ et filiis Rotb(er)to et Willelmo, ipso rege iubente, tenuerunt hoc placitum magnæ auctoritatis et precipuæ dignitatis viri tam de æcclesiastico quam seculari ordine qui tunc, festivitatis gratia invitante, ad curiam regis convenerant, scilicet, domnus Willelmus archiepiscopus Rotomagensis, Ricardus archiepiscopus Bituricensis, Warmundus archiepiscopus Viennæ, Goisfred(us) episcopus Constantiæ urbis, Gisleb(er)tus episcopus Lisiacensis, Rotb(er)tus comes frater regis, Rotb(er)tus comes de Ou, Wido comes Pontivensis, Rogeri(us) de Bellomonte et filii eius Rotb(er)tus et Henricus, Rogerius de Monte Gumeri, Walteri(us) Gifard(us), Willelm(us) de Archis heres defuncti scilicet avi sui Gozelini qui prefatam terram insulæ dederat sanctæ Trinitati, et omnes nobiliores curiæ regis. Qui predictus Willelmus, iudicio placiti, ad satisfaciendum episcopo et dissensionem penitus abolendam, avitæ donationis testis processit et iureiurando confirmare paratus fuit, quia ipse die et hora qua hanc terram sanctæ Trinitati ipse Gozelinus dederat libere eam et absolute sua dicione possidebat. Tunc episcopo nolente sacramentum recipere, iussu regis et auctoritate est confirmatum, et ab omnibus qui aderant iudicibus iam superius memoratis decretum et diffinitum, ut predictam insulam Oscelli quæ Torhulm(us) dicitur abbas Walteri(us) et monachi sanctæ Trinitatis exinde omni tempore libere et absolute tenerent.

+ S(ignum) Willelmi regis. + S(ignum) Mathildis reginæ. + S(ignum) Rotb(er)ti, + S(ignum) Willelmi filiorum.  
+ S(ignum) Willelmi archiepiscopi. + S(ignum) Ricardi archiepiscopi. + S(ignum) Warmundi archiepiscopi. + S(ignum) Rotb(er)ti fratris regis. + S(ignum) Widonis comitis Pontivensis.